



FORMUŁY MODLITWY POWSZECHNEJ W JĘZYKU ŁACIŃSKIM

(Missale Romanum 2002, appendix V)

TEMPORE NATIVITATIS

Sacerdos:

Hac die (hac nocte, hoc tempore), fratres carissimi, qua apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non in operibus iustitiae nostrae, sed in eius misericordia confidentes, preces Deo nostro supplices effundamus.

Intentiones:

- I. Pro Ecclesia Dei; ut integra fide sustineat et laetanter excipiat quem immaculata Virginitas verbo concepit et ineffabiliter generavit, Dominum deprecemur. **R.** Domine, miserere.
- II. Pro universi orbis profectu et tranquillitate; ut temporale donum in praemium transeat sempiternum, Dominum deprecemur. **R.** Domine, miserere.
- III. Pro iis, qui fame, infirmitate vel solitudine tribulantur; ut per mysterium Nativitatis (manifestationis) Christi tam mente quam corpore sublevantur, Dominum deprecemur. **R.** Domine, miserere.
- IV. Pro congregationis nostrae familiis; ut Christum recipientes, illum etiam in pauperibus discant excipere, Dominum deprecemur. **R.** Domine, miserere.

Sacerdos:

Quæsumus, Dómine Deus noster, ut fidélium tuórum supplicatiónes apud te ipsa
comméndet, quæ Deum et hóminem castis viscéribus méruit baiuláre.

Per Christum, Dóminum nostrum. **R.** Amen.